

Q. D. B. V. <sup>in bl.</sup>

**BENEDICTVM  
DE SPINOZA**

**ATHEISMI CONVICTVM,**

—CONTRA

**AVTOREM**

**PRAEFATIONIS**

IN

**OPERA EIVS POSTHVMA,**

*PRAESIDE*

**M. IACOBO STAALKOPFF,**

**PVBlico ERVDITORVM**

**EXAMINI**

**SISTET**

*D. Septembr. MDCCVII.*

**IO. PHILIPPVS ANDERSEN,**

**STADA-BREMENSIS.**

---

*GRYPHISWALDIÆ,*

Typis DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,  
Reg. Acad. Typogr.

st. philos.

3,56



Q. W. B. V.

BEI DER UNIVERSITÄT

DESS SAARLANDES

ATHEMISCHES COLLEGIUM

CONTRA

AVERTUM

IMMUNITATIS

IN

CECILEA RESS TOOTHMAN

DESS SAARLANDES

M. JACOBO STABALCORPH

IN SAARBRÜCKEN

EXAMINAT

ARTIS

IN SAARBRÜCKEN

JO. WILHELMVS ANDERSEN

STADT-DRUCKER

IN SAARBRÜCKEN

Typis Davidis DeLambris Starckii

Imp. Reg. Typogr.



CONSPECTVS  
EXERCITATIONIS.

§. I.

**E**xempla Antonini Dianae & Andreae Mendow, quorumcunque criminum Defensorum acerrimorum adducuntur. §. 2. De maximo uitiorum Atheismo scilicet disseritur & Galliam eodem infectam fuisse exemplo Vanini probatur. §. 3. De Anglia hoc morbo pariter laborante Io. Casi afferuntur quaerelae, ac Apologia quam pro atheismo scripsit Hobbesius profligatur. §. 4. Transitus fit ad Germaniam & Belgium, atque ex Belgis, Benedictus de Spinoza Atheismi accusatur. §. 5. Defensorum Spinosae, Praefatoris in Opera eiusdem posthumo, Godofredi Arnoldi & Io. Georgii Wachteri mentio fit. §. 6. Vita Spinosae breuissimis traditur. §. 7. Scripta illius recensentur & errores primarii quos fouit Atheus succincte enarrantur. §. 8. & 9. Aduersarii Maledicti nostri enumerantur. §. 10. De Francisco Cupero disquiritur: utrum & ille candidis Spinosae Aduersariis accenseri mereatur? §. 11. Scriptores qui uitam Spinosae & historiam Spinozismi tradiderunt, laudantur. §. 12. De Atheismo obiter quaedam monentur. §. 13. Atheismi & Naturalismi reus Spinoza pronunciat quae assertio. §. 14. Probatur ex sententia Athei, qua mundum DEVM statuit. §. 15. & 16. Ex impio errore quo Supremum Numen rerum omnium causam immanentem asserit. §. 17. Ex negata ab eo Spiritualitate DEI &c. §. 18. Ex contemptu quo sacras despicit literas. §. 19. Poiretus idem de Spinoza sentiens allegatur. §. 20. & 21. Autor praefationis in Opera eius posthuma refellitur & demum §. 22. Dissertationi finis imponitur.



EXERCITATIO I.

DE

ATHEISMO SPINOZAE,  
PRAEFATORI IN OPERA EIVS POSTHVMA  
OPPOSITA.

I.



**D**etestandam mortalium peruersitatem,  
 uel ex eo, ut innumera alia taceam,  
 satis superque colligere licebit, quod  
 nullis non temporibus extiterint uti  
 uerarum uirtutum ofores infensissimi;  
 ita infimul teterrimorum uitiorum  
 defensores acerrimi, qui eo progressi sunt audaciae,  
 ut nefanda omnis generis flagitia uenusto uirtutum  
 nomine pingere atque cohonestare, magno conatu sint  
 moliti. Testis hanc in rem citari poterit pestilentissi-  
 mus liber, Antonini Dianae, scriptoris Pontificii, quem  
 Resolutiones Morales inscripsit. In hoc enim Auctor,  
 qui tamen morum Doctor cognominari cupit, euiden-  
 tissime quantum bonis moribus aduersetur ostendit,  
 dum atrocissimorum etiam peccatorum causam haud  
 dubitauit perorare. Quam obrem, cum etiam Io. Ca-  
 ramuel a Lobkowiz, agnum DEI peccata mundi tol-  
 lentem, insigni cum blasphemia appellauit. Nec beni-  
 gnus merebitur iudicium fidei eiusdem socius An-  
 dreas Mendow, qui utut a dulcissimo seruatore nostro  
 IESU appellari gestiatur, nihilo tamen minus dissensum  
 suum a benignissimi Redemptoris sanctissimis morum  
 praeceptis, in statera Opinionum benignarum & Epi-  
 tome



tome Opinionum Moralium, omnium oculis abunde fatis exposuit. Animus certe indignatione percellitur, quoties impiissimorum huiusmodi hominum profanissimam scribendi audaciam in memoriam reuoco, eamque non nisi omnibus modis arbitror esse abominandam.

II.

Grauius tamen illi, meo quidem iudicio adhuc peccare uidentur, qui eo processerunt impietatis summae, ut negare supremum aliquod Numen non uereantur, ac in defendendo grauiissimo uitiorum Atheismo scilicet, toti uersentur. Nihil enim quod maiorem prae se ferat immanitatem dici potest, & maximum eo ipso laesae Maieftatis diuinae committitur crimen, dum creatura suam a Creatore dependentiam negare conatur. Dubitari equidem posset, an unquam sol tam emotae mentis adspexerit homines, cum omnium animis insculptus sit quidam diuinitatis sensus, nisi dubitationem omnem eximerent exempla certissima, tristissimum execrandae huius rei testimonium perhibentia. Loquitur hoc Gallia notissimum immanitatis huius, celebris illius Atheismi Apostoli, ac pro eo Martyris Iulii Caesaris (Lucilii alias dicti) Vanini à Taurisano, Theologi, Philosophi, Medici, & I. V. Doctoris exemplum afferens, in quo atro carbone notando, operosi imprimis sunt celebris Gallorum Historicus Grammondus (a) & Marinus Mersennus, Theologus Parisiensis Minimorum Francisci. (b)

(a) *Libr. III. Hist. ad annum Christi 1628.* (b) *in elegantissimo in Genesim Commentario passim. Quem idcirco celebratissimum in*



Orbe erudito nomen B. Morhofius Pandectas multarum rerum curiosissimarum haud praeter rem appellavit. Addatur his Samuel Parkerus in Disputat. de DEO & providentia Disput. 1. p. 77. seqq.

III.

Neque est, quod extincto pestilentissimae huius sententiae propugnatore, extinctam, cineribusque ipsius sepultam blasphemam hanc opinionem credas, ut potius eandem latius omnino serpsisse statuere necesse habeas. Testantur id grauisimae Ioannis Casi Oxoniensium Philosophi quaerelae, diserte affirmantis & monstra haec Atheorum Angliam peruasisse, atque inquietasse. Vnum saltem ex Anglis nominare iuua-bit, nefarium iudice B. Kortholto impostorem, audacissimum, ac impudentissimum Philosophorum omnium, Guilelmo Saldeno teste, Thomam Hobbesium, utpote qui Atheismo patrocinari, eundemque inter peccata ignorantiae & imprudentiae referre, nullus dubitauit. (a)

(a) *In Element. Phil. de Ciue Cap. 14. §. 19. & Cap. 15. §. 2.* Illam autem quam pro Atheismo scripsit Apologiam Malmesburiensis minime sufficere ex mox dicendis abunde patebit. Ignorantiae quippe existentiae diuinae locum non facit notitia naturalis tam insita quam etiam acquisita, in unoquoque hominum reperiunda nisi ipse residuas adhuc ex pellucidissima imaginis diuinae luce scintillas, affectatae ignorantiae nebulis, ac perpetuis dubitationum nubibus obfuscare, atque sic ueritatem in iniustitia delinere uelit. Et quamuis homotalis regeat, se nullum plane legis uel notitiae DEI naturalis sentire splendorem, ac meras potius crepet tenebras, non magis tamen illud obstare poterit habituali de Numine cognitioni, quam si quis clausis uel alio corpore opaco tectis oculis soli splendidissimo iurare corruscanti obscuritatem tribuere uelit. Similis profecto eiusmodi homuncio Harpastas apud Senecam esse uidetur quae cum subito

bito



bito videre desisset causam coecitatis non in oculis; sed in aedibus  
 nimum obscuris quaesivit. Cum enim ille tenebras mentis propria  
 culpa obscuratae adscribere debeat, adeo tamen uesanus est, ut eas-  
 dem absentiae uel etiam debilitati luminis naturalis tribuere ma-  
 lit. Nihil ergo hoc prodest Hobbio, cum omnis illa, quae obtenditur  
 ignorantia, non nisi affectata & uincibilis sit, quae tantum abest ut  
 excusationem mereatur, ut potius atrocissimum peccatum & crimen  
 laesae Maiestatis diuinae iure meritoque censeri debeat. Neque  
 exceptio eius quicquam ualet, dum dicit; Atheos non posse laedere  
 Maiestatem diuinam, utpote cuius imperio uoluntatem suam nun-  
 quam submississent. Quamuis enim imperium humanum, nonnun-  
 quam, & ut plurimum consensu subditorum nitatur; inde tamen non-  
 dum sequitur, cum dominio Beatissimi Numinis pari modo esse debere  
 comparatum. Consensu quippe hominum DEVM in thronum  
 euehi, & dissensu iterum deturbari posse talis mihi quidem esse uidetur  
 assertio, quam non uniuscuiusque; sed ferreus saltem spirituum for-  
 tium (Atheorum scilicet) stomachum concoquere ualet.

IV.

Germaniam quoque nostram, pestilenti illo fidere  
 pariter fuisse afflatam B. Falkius (a) fati aperte mon-  
 strat. De Belgio, sentina illa religionum, impietatis &  
 nequitiae asylo, in quo execranda impurissimarum opi-  
 nionum semina, in ipso sole liberius spargere audent  
 homines profani, in praesens prolixè dicere nihil atti-  
 net, cum ipsemet Gisbertus Voëtius Libertinorum,  
 omniumque Fanaticorum Africam appellet. (b) In  
 scenam saltem hic, quem Belgium fouit, prodire iubebo  
 famosissimum illum Impostorem, BENEDICTVM  
 de SPINOZA, insigni pietatis specie Atheismum suum  
 commendare molientem. De quo uel sola Epistola  
 XXXIV. ad Guilelmum Blyenbergh scripta, in qua su-  
 am egregie perorare annisus est causam, luculentissimi  
 testimoniū



testimonii instar esse poterit. Cui, si picta phalerataque uerba ipsius quibus colophonem & praefationi tractatus theologico-politici, & tractatui ipsi imponit, addantur, liquido & ad oculos patebit, uirum hunc magnam prae se ferre uoluisse pietatem. Afferit enim ibidem: se sedulo curasse & apprime, ut quicquid scriberet, legibus patriae, pietati, bonisque moribus omnino responderet. Eadem pariter ex causa, non solum Epist. XIX. ad Diuum Paulum prouocauit; uerum etiam titulo schediasmatis theologico-politici sequentia ex 1. Ioann. Epist. Cap. IV. comm. 13. inscripsit uerba: Per hoc cognoscimus, quod in DEO manemus, & DEUS manet in nobis, quod de spiritu suo dedit nobis.

(a) *In Daemonol. p. 4.* (b) *Tom. I. Diss. select. Part IV. Diss. de Atheismo p. 223.*

V.

Pio igitur huic qualis uideri uoluit Philosopho Atheismum tribuere uelle, absolum nimis quibusdam eruditorum uidetur. Primum autem inter eos quantum ego quidem sciam, Autor praefationis in Opera Spinosae posthuma occupat locum. Hic enim non solum concordiam CHRISTI & Apostolorum cum Atheo nostro ostendere haud ueretur; uerum etiam eundem optimum ueritatis scripturae & religionis aduersus Gentiles, Iudaeos & Atheos Demonstratorem uendicare haud erubescit, & ipso Psalmographo iudice Atheismi crimen ab illo amoliri conatur. Ita enim ille: *Haec sunt praecipua eorum (recensuerat autem in antecedentibus quaedam Spinozae placita) quae Philosophus noscitur de recta uiuendi ratione, summoque hominis bono, a ratione dictari*



dictari demonstrat. Si haec cum iis, quae Saluator noster IESVS CHRISTVS, eiusque Apostoli docuerunt, comparentur, non tantum summa inter ea deprehendetur conuenientia, sed & perspicuetur, quae ratio praescribit, eadem plane esse cum iis, quae ipsi tradidere, quin uidebit, dogmata moralia religionis Christianae, perfecte in iis contineri. Quae ne frustra asseruisse uideretur, innumera ferme noui federis adducit loca, ad euincendum consensum Spinosae cum CHRISTO & Apostolis unice comparata. Dicam deinceps illis scribit qui acutissimum uirum non tantum Atheismi accusare, sed etiam pro uiribus lectoribus suis persuadere conati sint, eum in scriptis suis Atheismum docere, eiusque positiones omnem religionem omnemque pietatem ex hominum animis tollere, cum tamen ille sacrarum literarum diuinitatem ac autoritatem & infimul religionis Christianae ueritatem egregie demonstrarit. Quam ob rem sequentem in modum pergit: *Profectosi Aduersarii ad hoc Psalmistae tantum attendissent Psalm XIV. 1. & LIII 2. dicit stultus in corde suo nullus est DEVS; eos hic locus sapientiores ac prudentiores reddere, quin etiam nunc eorum temeritatem ostendere posset: nam his uerbis Psalmista satis clare ostendit, tam horrendum facinus reuera in sapientes (inter quos noster Philosophus, ipsis fatentiōus, collocandus est) nec cadere, nec cadere posse.* Praefatori assentiuntur Godofredus Arnoldus, & Io. Georgius Wachterus, ille in historia sua Ecclesiastica, hic in Elucidario Cabbalistico. Quo autem argumentationibus horum eo melius occurrere possim, Aduersariorum huic trigae, ternarium etiam obseruationum opponam, atque in eodem pro uirili meo euincam: **BENEDICTVM de SPINOZA** Atheorum cohorti optimo iure esse accensendum.



VI.

Id uero facturum necessario quaedam de Benedicti (a) huius uita, scriptis, sententiarum quas fouit mon- stris, Aduersariis &c. praemittenda esse censeo, quo de- inceps eo rectius ferre liceat iudicium. Genuit eum Amstelodamum, ubi & educatus est, literisque diuinio- ribus praecipue operam nauauit sedulam. Parentibus natus Iudaeis, Iudaicis pariter sacris nomen dedit suum, quem tamen cum ab ineunte statim aetate monstri ali- quid aleret, portentis sententiarum ipsius moti, a reli- gione sua sacrorum Antistites arcuerunt. *Ἀποσυναγωγος* itaque factus, ad Castra Christianorum transiit, ac ma- turescente sensim ingenio, in eo totus fuit, ut ad ductum Cartesii Philosophiam probe imbiberet. Ne uero ab iis, quibuscum ipsi aliqua intercessit familiaritas, a philosophando aliquantisper abstraheretur, relicto Am- stelodamo, Rheno-burgum, Voorburgum, ac tandem Hagam Comitum se contulit: ubi etiam anno 1677. annos 44. natus, phtisi confectus diem obiit supremum. Publicam docendi prouinciam, etsi amplissima in Aca- demia Heidelbergensi, a Io. Ludouico Fabritio, eius- dem Vniuersitatis Professore & Electoris Palatini Con- siliario, mandante ita Electore ipsi offerretur, ac insimul philosophandi promitteretur libertas, ille tamen hanc ipsam libertatem non adeo amplam fore ratus, honori- ficum illud munus est aspernatus. (b)

(a) *Benedictum hunc maledictum potius appellandum esse censent Illu- stris ac Magnificus Academiae Gryphicae Procancellarius Perpe- tuus DN. D. IO. FRID. MAYER, in Praelectionibus in Lu- cam Publicis, § B. Kortholtus libr. de tribus Impost. Magnis sect. III. circa initium, eo quod spinosa ex diuina maledictione terra ma- ledictum*

EX IV



ledictum magis hominem & cuius monumenta tot spinis obsita uix unquam tulerit. (b) Confer Epist. LIII. & LIV. inter Spinozas Epistolas.

VII.

Otio igitur indulfit suo, ac uaria concinnauit scripta, quae breuissimis iam iam recensere licebit. Dupliscis autem generis ea esse deprehendo, cum alia ipso Spinosa adhuc uiuente edita sint, alia uero demum post facta ipsius lucem adspexerint. Ad priorem classem quae spectant, sequentia sunt: Pars I. & II. Principiorum Cartesii, a Spinoza ordine Geometrico demonstratae, Cogitata Metaphysica, & Tractatus Theologico-Politicus. Qui liber non Hamburgi uti titulus prae se fert; sed Amstelaedami teste Guilelmo Saldeno, quanquam sumptibus Medici cuiusdam Hamburgensis cui nomen Kerckringio, quod Magnificus DN. D. MAYERVS asserit, editus est: quemque iure optimo Atheismi strictissime dicti synopsis seu compendium cum Kortholto uocaueris (\*). Quippe in quo, apertius ac liberius teterrimum impietatis suae uirus sparsisse mihi semper est uisus. Posthuma uero sunt, adeoque in posteriorem ordinem referri debent: Tractatus Politicus, de Emendatione Intellectus liber, Epistolae, Compendium Grammaticae Hebraeae & quam primo nominare debebam loco, Ethica ordine Geometrico demonstrata. Quam quousque uiueret, publicae exponere luci noluit, ueritus forsitan ne in tam absurdum Atheismi Patronum aliquanto grauius animaduerneretur, morti uero uicinus editionem eiusdem commendauit suis, his tamen additis: ne neminis iuineret mentio, idque eam



ob causam, uti Autor praefationis indicat ne disciplina haberet ab ipso uocabulum, hoc est interprete Poireto, ne disciplina Atheorum siue Atheismus, in posterum uocaretur Spinozismus, essetque unum & idem Atheus & Spinozista. In hac autem Ethica impius noster Euclides non demonstrasse; sed decepisse censendus est, cum id tantum egerit, ut impiissimas opiniones suas, mathematicarum demonstrationum fucō pingeret, ac chimaericas Propositiones suas abominanda prorsus astutia angelicis quandoque uerbis construeret. Quare hanc morum doctrinam, haud praeter rem infernalis Ethices systema, curriculum & Catechismum Atheismi absolutum Petrus Poiretus appellauit. (b) quoniam in ea una cum tractatu theologico-politico errores suos praecipuos Spinoza consignauit. Qui in eo cum primis consistere uidentur: quod DEVM in mundi machinam metamorphosi plus quam Ouidiana transmutare, fatalem rerum necessitatem asserere, sacram scripturam diuina inspiratione priuare &c. magno conatu allaboret. Plura dabunt Illustris ac Magnificus DN. D. MAYERVS Patronus, Praeceptor & Pater in Christo omnis obseruantiae & submissionis cultu aeternum deuenerandus (c) Fridericus Spanhemius (d) & CL. Hartnaccius. (e)

(a) *De tribus Impost. Magn. sect. III. §. 5. p. m. 79.* (b) *Cogit. Rat. p. 217.* (c) *in doctissima de Autographis Biblicis commentatione quae reperitur in Dissertationibus selectis p. m. 546. seqq. ubi insimul Pererii, Hobbesii & profanissimi acuminis Criticorum Richardi Simonii & Io. Clerici periculosas de diuinis literis sententias & ..... sa doctissime confutauit.* (d) *Elench. Controuers. in Appendice p. 633. seqq.* (e) *Continuat. Hist. Eccles. Micr. selip. 2259.* VIII. Secta-



Sectatores apertos quantum ego quidem sciam uix nactus est Spinoza nî huc referre uelis Io. Bredenburghum, qui equidem Tractatum Theologico-Policum optime refutauit libro belgice primum ab Autore conscripto, latine postmodum Roterodami 1675. in 4t. sub titulo Eneruationis tractatus Theologico-Politici edito: at a quibusdam nihilominus Spinozismi arguitur, cum tamen referente CL. Petro Baelio (\*) non sine religionis signis mortuus sit. Quicquid uero huius sit, plures tamen in confutando Atheo toti fuerunt. Patentissimum quippe nanciscerer differendi campum, si omnia quaecunque se hoc loco offerunt persequi, singulisque presse nimis insistere, ac diu immorari animus esset. Ne uero iusto prolixior horum recensio L. B. fastidium pariat, potiora paucis saltem delibare operae pretium arbitror esse futurum. Quapropter a V. C. Regnero à Mansueld Philosophiae Doctore ac Professore in Academia Traiectina ordiar, utpote qui primus & tum temporis etiam solus, teste praefatione in hoc certamine comparuit conscripta refutatione tractatus theologico-politici, post obitum eius Amstelodami 1674. in 4t. edita. Vidit hanc confutationem etiam ipse in uiuis illis temporibus adhuc existens Spinoza; sed indignam responsione sua, admodum uane & arroganter censuit. Quae ne citra fundamentum asseruisse uidear, conferri rogo Epist. L. Spinosae, ubi certae cuiusdam refutationis tractatus sui, a Professore Ultraiectino scriptae mentionem facit, per quam Mansueldii coementatio intelligi debet, praecipue cum tum temporis nullum praeter hoc, extiterit



terit scriptum integro Spinosae libro oppositum. Nec minorem laudem meretur, singularis prorsus industria, Illustris Huetii, quam in confutandis impiis Philosophi huius de diuinioribus literis assertionibus, in Demon- monstrat. Euangel. Prop. IV. p. 298. seqq. omnibus in uniuersum, abunde satis testatam fecit. Neque hac in parte quicquam ipsi cedit, celeberrimus ille Batauo- rum Theologus Hermannus Witsius libr. I. Miscell. Sacr. Cap. VII. IX. XIV. seqq. Quod pariter summa cum laude praestitit Io. Henricus Heideggerus Ex- exercit. IX. X. XI. Exercit. Bibl. Idem etiam uoluit saxum Theologus quondam in Salana Musarum sede longe clarissimus Io. Musaeus peculiari tractatu & Ia- cobus Batalerius in Vindiciis Miraculorum aduersus Tractatum Theologico-Policum Amstelodami 1674. in 12. editis, Quibus adiungendi erunt, magnorum in puriorem CHRISTI ecclesiam meritorum uir, Chri- stianus Kortholtus, & notissimus ille Hobbii sectator Lambertus Velthusius. Ille enim id sibi negotii datum esse credidit, ut portenta sententiarum Spinosae ex im- pio tractatu theologico-politico & profana Ethica P. III. libri de tribus Impost. erueret, omnibusque turpitudi- nem earundem proponeret spectandam. Hic uero soli scripto theologico-politico, de cultu naturali librum opponere haud dubitauit.

(a) *In Dictionario Historico-Critico Tom. III. p. 2774.*

IX.

Excipiant iam Aduersarios commentationis theo- logico-politicae, ii, qui aduersus diabolicam Athei E- thicam calamum strinxerunt. Petrus igitur Poiretus no- minandus



minandus mihi iam est, qui in notis ad Cogit. Rat. & in fundamentis Atheismi euerfis, quae editioni secundae Amstelodamensi Cogit. Rat. ad calcem accesserunt, impietatem Spinozae & ingenue detexit, & solide impugnauit. Quam ob rem ipsi etiam CL. Vriesius praefat. ad Exercit. Rat. p. 9. gratias egit pro conuulsis egregie Spinozisticae impietatis fundamentis, illud tamen simul recte obseruans: admisceri quandoque quaedam Enthufiasmum plus iusto sapientia. Id quod etiam asferit, in Diatribe de Ideis innatis Hermanno Alexandro Röell Profefiori Franecquerano opposita p. 14. Sed de hoc satis, quare ad Christophorum Wittichium, celeberrimum illum Cartesianae Philosophiae pariter ac Theologiae, in Academia Lugduno-Bataua defensorem, pergo. Hic quippe Examen Ethices Spinozae concinnauit, quod postea elegantissima cum praefatione Hasselii post fata Autoris 1690. 4. editum est. Aduersarium *κατὰ πόδα* in eodem est secutus, eiusdemque *κενοφωρίας* & fraudes dextre non minus ostendit, quam destruxit. Commentario autem de DEO & attributis diuinis, qui circa finem comparet, propriam de Numine sententiam exposuit laudatus Autor. Prodiit posthaec in hanc etiam scenam Io. Franciscus Buddeus, edito Spinozismo profligato, primarias quasdam propositiones impii huius hominis examinante, qui Tom. II. Phil. Eclect. reperitur. Imprimis uero commemorari merentur eruditissimi labores Guilelmi Blyenberghii (cum quo saepius per literas disseruit Spinoza, neque tamen eruditus dubitationibus eius, de ueritate suarum opinionum satisfacere ex asse potuit) & celebratissimi undiquaque  
Angli



Angli Henrici Mori: quorum ille, Ethicam Maledicti, peculiari libro felicissimo cum successu euertere haud dubitauit; hic uero ipsas columnas Atheismi Spinoziani destruendas, laudabili plane instituto in se suscepit. Nec tacendi sunt, qui in eodem argumento desudarunt, Isaacus Iacquelottus in Dissertationibus de existentia Numinis gallico idiomate conscriptis & Wachterus in Spinozismo aus dem Judenthum P. III. ne quid in praesens de Lamio & Abbadie, a CL. Struuio in Biblioth. Phil. recensitis, addam.

X.

Ad Franciscum autem Cuperum quod attinet, utrum & illum supra nominatis adiungere debeam, incertus haereo. Etsi enim iste arcana Atheismi reuelare, & Spinosam quoque refellere peculiari allaborauerit scripto, ut plurimum tamen iudicium Henrici Mori de eodem approbatur, quo magis causam Atheorum statuminaffe, quam euertisse censetur. Eandem ergo hic L. B. mutato saltem nomine ludi uides fabulam, quam Caesar ille Atheorum Vaninus, oculis eruditorum spectandam exhibuit. Edidit quippe ille Amphitheatrum aeternae prouidentiae, aduersus ueteres Philosophos, Epicuracos, Stoicos, Atheos &c. in quo causam illius (pro- uidentiae) se perorasse incautioribus persuadere annititur, qui tamen, cordatos rerumque gnaros si consulas iudices, causam eius potius prodidisse, censendus est. Nec mitius de Thoma Campanella, uiri harum rerum intelligentes sentiunt, quibus, dum triumphatum ille scripsit Atheismum, triumphantem Orbi obtrudere uoluisse, admodum probabile uidetur. Non multum igitur de

tur de



tur de Cupero, tanquam dextro Spinosae Aduersario, in scenam producendo sum laboraturus, cum plurimi, si uel hie eorum eximatur numero, egregie hanc spartam ornarint, ceu ex superioribus ad oculum patet.

XI.

Ceterum ad supplendam aliqualem hanc de Spinoza historiam multum facient, qui in consignanda uita ipsius, rebusque gestis occupati fuerunt. Inter quos primum iure suo meretur locum celeberrimus Baelius, dum insigni solertia omnia ea undique conquisiuit, quae ad illustrandum hocce historiae caput necessaria uideri possunt. in Dictionar. Hist. Critic. sub uoce Spinoza. Nec laude sua defraudandum esse censeo CL. Sebastianum Kortholtum, qui singularia quaedam huc apprime spectantia attulit Praefat. ad Patris librum de tribus Impost. denuo ab ipso Anno 1701. cum Orbe Erudito communicatum. Quibus breuitati litans, subiungo uitam Spinosae opera CL. Hartnaccii conscriptam, quae reperitur in Micraelio continuato, & similem Io. Coleri Pastoris Lutherani Hagiensis scriptionem cuius D. Nicolaus Hieronymus Gundling, P. P. in Academia Hallensi mentionem facit in Otiis 2. Auflage Cap. III. p. 85. Neque tacendam esse arbitror V. CL. Gottlob Friderici Jenichen Historiam Spinozismi Leenhofiani nuperrime Lipsiae in 8. editam, utpote cuius Pars I. praecipue huc spectare uidetur.

XII.

Hunc igitur quem uidimus Spinozam, recensitarum opinionum ergo Atheismi insimulare quis dubitet? quicquid etiam in contrarium disputent Autores

C

supra



supra §. V. nominati: id quod ulterius & ad oculos patebit, si modo ad ipsam Atheismi naturam paulo accuratius attenderimus: Hac siquidem probe considerata, optimo iure collectionem a definitione ad definitum institui posse prorsus confido. Cuius tamen Atheismi definitionem, ac diuisionem in theoreticum & practicum tradere superuacaneum foret, cum haec notissima sint, ac passim a Theologiae tum Naturalis tum etiam Reuelatae scriptoribus doceantur. Et cum Atheismum speculatiuum, in directum, indirectum & participatum uulgo iterum distribuunt Gisbertus Voëtius (\*) merito hic consulendus erit, utpote qui omnium harum specierum definitiones suppeditat. Neque necessitas postulat, ut diuisionem Atheismi in crassum, subtilem, & subtilissimum, fuse exponam, cum & eam tradiderit modo laudatus Voëtius

*Dissert. Select. Tom. I. de Atheismo P. I. p. 117. 122. seqq.*

XIII.

Quapropter de eo tantum quod caput rei est ero sollicitus, ad quamnam scilicet Atheismi classem Spinoza praecipue referri mereatur. Ita autem statuo: nefarium hanc impostorem optimo iure Atheum theoreticum indirectum, specialissime uero Naturalistam posse uocari. Quae ultima eò accipi nolim, ac si eum erroris quem Franciscus Puccius, Edoardus Herbertus de Cherburii, Petrus Chauuin, aliique errarunt, homines fide & religione naturali saluari posse contendentes, impraesens reum facere animus esset; ideo saltem eum iam Naturalistam uocans, quoniam DEVM ceu naturam naturantem, cum mundo, natura naturata, confundere



confundere haud est ueritus, atque adeo his loquendi formulis abusus est, dum eadem, quae alias Orthodoxi sano sensu de natura naturante dixerunt, ille conatu prorsus impio ac profano perperam ad naturam naturatam applicauit.

XIV.

Sententiam itaque meam, quam superiori proposui paragrapho minime obscuram illi posse uideri existimo, qui breuiter antea adducta, & prolixius iam iam edisserenda, sententiarum quas Spinoza fouit monstra, paulo accuratius atque penitus penes animum reputarit suum. Is quippe Atheismi & quidem indirecti haud immerito postulabitur, cui uoces aequis ac piis rerum aestimatoribus alias plane diuersae, DEVS scilicet ac mundus aequipollere uidentur: mundum enim DEVM facere, & DEVM negare & si expressis quidem uerbis idem non sonent, eadem tamen qua legitimam consequentiam gaudere significatione arbitror. Vt eo clarius appareat, in quo argumenti uis sita sit, licebit illud consueta Logicis argumentandi ratione sequentem in modum proponere:

*Quicumque mundum constituit DEVM, ille est Atheus indirectus. Atqui Spinoza &c. E.*

Propositionis connexio facile probari potest. Omnis enim ille id DEVM reputans quod non est DEVS, & praeter illud, quod ipse credit esse DEVM, nullum aliud admittens Numen, nullum plane statuit DEVM. Ad subsumptum quod attinet, euidentissime illud ex Spinozae scriptis ostendi potest. In Ethica quippe sua



non dubitat insanum hunc errorem, Mundum esse DEVM, & omnes res particulares nil nisi modos DEI, uariis quaesitis coloribus palliare & propugnare. Propositionum hanc in rem facientium praecipuae hae sunt in P. I. Prop. V. In rerum natura non possunt dari duae aut plures substantiae eiusdem naturae siue attributi. VI. Vna substantia non potest produci ab alia XIV. Praeter DEVM nulla dari neque concipi potest substantia. XV. Quicquid est, in DEO est, & nihil sine DEO neque esse neque concipi potest. XVI. Ex necessitate diuinae naturae infinita infinitis modis (hoc est omnia quae sub intellectum finitum cadere possunt) sequi debent. In parte II. Prop. VII. in Scholio (a) Prop. XI. in Corollario (b) Parte IV. Prop. V. ubi homo naturae scilicet naturantis i. e. DEI pars dicitur, quemadmodum illud ex demonstratione huius Propositionis dispalescit. Nec aliud uult tractatus theologico-politici Cap. I. p. 14. ubi haec leguntur uerba: Naturae potentiam nullam esse nisi ipsam DEI potentiam, cum quibus conferantur ea, quae in eodem tractatu Cap. III. p. 32. Cap. IV. p. 46. & V. p. 69. afferuntur. Si itaque iam ad tritum illud Theologorum: Omne quod est in DEO est ipse DEVS attenderimus, liquido patebit, DEI potentiam quia est in DEO, esse ipsam DEI essentiam, & per consequens DEVM ipsum, quod & ipse Spinoza Eth. P. I. Prop. XXXIV. non diffitetur. Quare si potentia naturae est potentia DEI (per ipsa antea à Spinoza dicta) & potentia DEI est ipsa essentia DEI siue DEVS ipse, necessario sequetur essentiam naturae esse ipsam essentiam DEI, & quod



& quod inde sequitur DEVM ipsum. Quibus quid clarius dici possit nescio, adeo ut non ulteriori horum explicatione aut probatione penes hominem his assentiri nolentem; sed sola potius obtestatione opus esse uideatur.

(a) Verba nimis proluxa sunt, quam ut hic inseri possint. (b) Corollarium ita se habet: Hinc sequitur mentem humanam partem esse infiniti intellectus DEI; ac proinde cum dicimus mentem humanam hoc uel illud percipere, nihil aliud dicimus, quam quod DEVS non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanae mentis explicatur, siue quatenus humanae mentis essentiam constituit hanc uel illam habet ideam &c.

XV.

Quinimo loquuntur id porro & ea, quae impius hic homo in Eth. P. I. Prop. XVIII. de DEO causa omnium rerum non transeunte, uti haecenus Orthodoxi Theologi pariter & Philosophi senserunt; sed immanente differit. Cuius tamen effati falsitatem statim reperire licet, si modo ad receptam hucusque causae immanentis definitionem aliquantisper attendatur.

Cum enim mundus sit ens aliquod ab infinita DEI essentia plane diuersum, DEVM nullo plane modo causam eius immanentem dici posse arbitror. Fusius ac disertius contrariam Spinoza exposuit sententiam Ep. XXI. ad Oldenburgium data his uerbis: *DEVM rerum omnium causam immanentem ut aiunt non uero transeuntem statuo. Omnia inquam in DEO esse, & in DEO moueri cum PAVLO affirmo, & forte etiam cum omnibus antiquis Philosophis licet alio modo.* Quae uerba dum perpendo, diabolicam prorsus *ψευδερμηνείαν*, ac profanissimi ingenii audaciam non possum non detestari, quam propterea



rea etiam nuperrime peculiari & leuidensi Dissertati-  
one aliquantulum castigauit, in qua Oraculum Pauli-  
num Act. XVII. comm. 28. ab impiis detorsionibus  
Hobbefii & Spinozae liberare pro uiribus laborauit. In  
eo uero, dum ad consensum omnium antiquorum Phi-  
lofophorum prouocauit, facile assensum meretur, quos-  
dam ex iis eodem etiam cum illo sensisse modo. Id quod  
pluribus demonstratum dederunt Petrus Baelius (a)  
Buddeus (b) Admodum Reuerendus Dn. M. Samuel  
Lucius, Praeceptor quondam, omni honoris gradu  
prosequendus (c). Vt iam de consensu Val. Weigeli,  
Iacobi Boehmii Philosophi Teutonici, Cabbalistarum  
aliorumque nihil dicam, illud silentio praetermitten-  
dum non esse uidetur, quod & Sinenses hodierni amice  
cum Spinoza conspirent. Ea enim quae Magnificus  
Dn. D. Mayerus (d) ex Confucio affert, iisdemque ferme  
uerbis edisserit Buddeus (e) clarissime indicant: eos-  
dem praeter Enthufiasmum & theologiae myfticae  
studium, Atheismi etiam speciatiim uero Spinozismi  
reos esse.

(a) *Dictionar. Hist. Crit. passim.* (b) *In Spinozismo ante Spinozam.*

(c) *In eruditissima de Religione Dissertatione §. 9. 10. 11.* (d)

*Differt. Select. p. 380.* (e) *In Hist. Philosoph. Phil. Eclect. praemissa  
Cap. VI. p. 94.*

XVI.

Illam autem controuersiam, utrum Aristoteles etiam  
cum Spinoza senserit, quod praeter Clementem Ale-  
xandrinum & Samuelem Parkerum, Autor praefationis  
in Wittichii Anti-Spinozam Hasselius nempe probare  
conatur, meam impraesentiarum facere nolo, illud po-  
tius consideraturus, qua ratione Spinofissimus ille Spi-  
noza



noza inductus fuerit, ut DEVM rerum omnium causam immanentem statueret. Mea quippe hoc de negotio sententia haec est: dixerat ille ( ut eo melius Atheismo patrocigaretur suo ) unam substantiam non posse produci ab altera, cum una tantummodo sit substantia, eademque necessario infinita. Vnde adeo legitima consecutione nil aliud quam hoc sequi poterat, ea omnia quae nos a DEO condita dicimus, emanationi ex diuina essentia originem debere suam. Illa non realiter a DEO, neque Numen realiter ab iisdem differre: uno uerbo: DEVM rerum omnium i. e. mundi causam immanentem esse, machinam huius mundi & ea quae in ipsa continentur, non esse diuersas ab eo substantias cum DEVS saltem substantia appellari possit; sed attributa, modos, DEI essentiam uarie afficientes, & certo ac determinato modo exprimentes. Quibus assertis, facile impugnare poterat creationem substantiae mundanae à substantia Creatoris diuersae, quam idcirco tanquam rem contradictionem inuoluentem uehementer ridet. Eam tamen quam crepat contradictionem, nullam esse Wittichius in epistola examini Ethices Spinozae subiuncta doctissime ostendit. Breuissimis iam dicta hoc comprehendere iuuabit ratiocinio:

*Quicumque DEVM causam mundi immanentem asserit, ille mundum DEVM facit, & quod inde sequitur, Atheus indirectus est. Atqui Spinoza &c. E.*

Propositionis connexio ex ipsa natura & definitione causae immanentis patet. De subsumpti ueritate pariter

riter



riter non est, quod quis dubitare uelit, cum illa in superioribus satis fuerit euieta. Nihil ergo quod ad praesens attinet negotium restare uideo, quam ut demonstretur, mundum DEVM esse non posse. Quam etiam probandi prouinciam lubentissime in me susciperem, ni otium mihi fecissent Io. Bredenburgius, in Demonstratione Geometrico ordine disposita, Naturam non esse DEVM: quae adiecta est eneruationi tractatus theologico-politici eiusdem Auctoris, Buddeus in Spinozismo profligato & Wachterus in Spinozismo in Zudentium P. II. Nuper idem praestitit Io. Wittii in uindicatione expositionis uulgaris historiae de Creatione Mundi uariis literis tentata & Londini 1705. 8. edita Epist. praecipue II. Repetere autem ea, quae Viri hi CL. attulerunt, instituti mei ratio non permittit, sed ad alia potius properare iubet argumenta.

XVII.

Pergo igitur ratiocinando: *Quicumque spiritualitatem DEI negat, negat DEVM ipsum & per consequens est Atheus indirectus. Spinoza hoc facit. E.* Maior sua radiat luce, nec ulla egere uideatur probatione, quae tamen facile dari potest: negata siquidem spiritualitate DEI, negatur ipsa Numinis essentia, cum in spiritualitate eiusdem essentia sit posita: negata DEI essentia negabitur DEVS ipse. Minor ex antecedentibus dispalescit: dum enim Spinoza mundum dicit DEVM qui corporeus est, spiritualitatem rerum omnium Arbitri neget, necesse est. Quam in rem ulterius ille impiissimorum mysteriorum sacerdos



dos in Ethicae suae P. II. Definit. I. scribit: *Per corpus intelligo modum, qui DEI essentiam, quatenus ut res extensa consideratur, certo ac determinato modo exprimit. Quinimo peculiarem de extensione, quod sit attributum DEI formavit Propositionem, quae II. est Partis II. Ethices.*

XVIII.

Indirecti etiam Atheismi Spinozam reum faciunt ea, quibus non uno modo in maiestatem diuinitatemq; sacrarum literarum iniurius fuit, scommata & conuictiorum plaustra. Siquidem illa menti meae firmissime infixata haeret sententia, eum ab Atheismo satis feliciter absolui non posse, qui Diuina Oracula despiciere haud ueretur, ac sacra inspiratione priuare omnibus uiribus molitur, cum laesa autoritate Scripturae ipsa supremi Numinis maiestas etsi non aperte, per cuniculos tamen subuertatur. Vti enim ille, qui imaginem Principis, uel etiam mandata eiusdem iniuria afficit, Principem ipsum laesisse iure censetur, adeoque acerbis satis castigatur poenis; ita etiam cum Numine Beatissimo eiusque uerbo comparatum esse sentio. Quamuis igitur solus hic medius terminus, ab iniuria sacris literis illata petitus, ad conuictionem Atheismi haud sufficiat, multum tamen cum aliis coniunctus ad dicam Atheismi alicui scribendam, facere mihi quidem uideatur. Quare cum plura iam pro demonstranda Spinosae Theomachia, in superioribus allata sint argumenta hinc etiam complementi loco ratiocinium aliquod petere licebit sequentis tenoris: *Quicumque in auctoritatem Scripturae, inspirationem eiu dem negando*

D

gando



*gando iniurius est, ac de eadem parum honorifice sentit, ille Atheismi indirecti haud immerito postulatur. Atqui Spinoza &c. E. Propositionis ueritas ex superioribus patet. Subsumptum autem, quominus prolixè stabilire necesse habeam, facit luculentissima B. Kortholti de Tribus Impostoribus commentatio, utpote in qua Sect. III. §. 8. 9. 10. 11. & 12. adductis propriis ex Spinoza uerbis, egregie illud demonstrauit.*

XIX.

Plura qui desiderat, is conferre poterit Poiretum asserere haud dubitantem, *DEVM* Spinozae nihil aliud esse, quam Porphyrii tabulam uel arborem praedicabili-  
 (a) Existimat nempe ille, Spinozam per *DEVM* suum intelligere uniuersale aliquod, per se & seorsim nullibi in rerum natura reperiendum, uerum in singularibus saltem, in mundo existentibus radicatum. Ut adeo Numen ipsi sit natura quaedam uniuersalis, omnibus rebus mundanis inhaerens, quae si abstractiue & formaliter consideretur, *DEVS* uocetur; materialiter uero & fundamentaliter spectata ipsissima res mundanae ex mente illius sint. Verum adeo deprehendimus esse, quod de Atheo nostro dixit Poiretus, eum nempe ex Barucho factum esse Benedictum, ex Iudaeo Christianum, ex Christiano Deistam, ex Deista *ATHEVM*. (b).

(a) *In Cogit. Rat. p. 110. 112. 152. Omnium uero clarissime quid DEVS Spinosae sit exponit p. 748.* (b) *In Discursu Prae-  
 liminari ad Cogit. Rat. p. 77.*

XX. Quid



XX.

Quid uero ad haec Encomiaſtes Spinozae inſignis, eiusdemque deſenſor acerrimus, ſaepius nominatus Autor praefationis in opera eius poſthuma? aegre ille fert, magno huic Philoſopho, paria cum CHRISTO & Apoſtolis docenti, ueritatemque ſcripturae & religionis Chriſtianae inuicte demonſtranti, & ſecundum eius ſententiam monopolium ſapientiae poſſidenti Atheiſmi inuri labem, ac contrarium ex ipsis diuiniſſimis literis probare conatur. Spinozam quippe uirum ſapientem fuiſſe contendit, adeoque Atheiſmi quem ſtultitiam ſacra appellet pagina, poſtulari iure non poſſe aſſerit. Argumentari mihi ſequentem in modum uidetur: Quicumque eſt ſapiens, ille non eſt ATHEVS. Atqui Spinoza &c. E. Enimuero reſpondetur ſapientiae uocabulum eſſe ambiguum: uel enim in ſenſu proprio accipi poterit, qua ratione nulla ſapientia ſine uera DEI cognitione dari poteſt; uel in ſenſu improprio, in quantum illa ſic dicta ſapientia ſaltem ad res naturales ſe extendit. Si itaque priori modo ſumatur ſapientiae uox, conceditur equidem Maior, aſt negatur Minor Spinozam eo in ſenſu fuiſſe ſapientem. Accepta uero uoce ſapientiae in poſteriori ſignificatione, negatur connexio Maioris. Nil enim obſtare uideo, cur homo in rebus naturalibus ac mundanis ſatis prudens, ingenique acumine pollens, uera tamen DEI cognitione deſtitutus, & ingenio ſuo peſſime abutens, Atheus eſſe non poſſit, cum ſint qualitates compatibiles, quae uni ſubiecto citra expulſionem mutuam commode inhaerere poſſint.



XXI.

Pari cum modo adductis imbecillitate laborant, quae idem Autor de concordia Spinozae cum CHRISTO & Apostolis, uariis hanc in rem adductis Scripturae testimoniis operose disputat. Facile enim negotio, discordia inter CHRISTVM Apostolos atque Spinozam ostendi posset; cum nullam lucis cum tenebris CHRISTI cum Beliale communionem intercedere posse diuinitus edoceamur, n̄ hoc ipsum Theologis esset relinquendum.

XXII.

Ex ipsis tamen Spinozae scriptis, in quibus mentionem DEI, diuinorum attributorum, Gratiae DEI, pietatis &c. facit, quaedam contra me urgeri posse sentio, quae proinde refellere mearum esset partium. Cum uero id praestiterint Viri Celeberrimi, ac in reiiciendis scriptis Spinosisticis egregie & summa cum laude uersati, mea hic facile filere poterit infantia. Sufficiet interim B. L. ad saepius citatum B. Kortholti librum de tribus Impostoribus Magnis & quidem pag. 87. seqq. ablegasse.

TANTVM!





NOBILISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO

DN. IO. PHILIPPO  
ANDERSEN,

PHILOSOPHIAE ET DIVINIORIS DISCIPLINAE CUL-  
TORI INDEFESSO.

RESPONDENTI SVO  
HONORATISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

**E**piphanium priscoe Ecclesiae Doctorem lon-  
ge celeberrimum & meritorum gloria in-  
clytum, haereticos pestilentissimarum opi-  
nionum virus undiquaque paulo liberius spar-  
gentes, eodemque coetum purioribus, quibus su-  
premus rerum omnium Moderator colitur sacris  
addictum, non uno misere turbantes modo, cum  
certa quadam serpentum specie quae sepedonum  
ipsi uenit nomine, scite contendisse legimus. Hos  
ipsos autem serpentes uelleribus ouium instar ue-  
stitos exitiali nihilominus instructos esse ueneno,  
asserit Antistes orthodoxias laude longe floren-  
tissimus. Neque fundamento destitui suo compara-  
tionem



tionem hancce, uerum eleganter satis cum genio,  
uafisque hostium ueritatis artibus conuenire,  
quolibet eorum quae in hac rerum uniuersitate  
geruntur uel aliqua saltem ratione gnarus perspe-  
ctum habet. Etsi enim homines isti, innoxiam  
plane prae se ferre uideantur simplicitatem, peni-  
tior tamen atque accuratior nequitiarum quibus  
Orbi illudunt consideratio, anguem sub herba la-  
tere abunde monet. Quapropter dignam homine  
Christiano prudentiam hic requiri nemo non ui-  
det, mediante qua serpentina astutia detegi possit.  
Qua ipsa cum praesens Fautor ac Amice aestima-  
tissime, quem iam iam moliris labor sese summopere  
commendet, dum uersutissimi mortalium Benedi-  
cti de Spinoza diabolicam impietatem ostendis,  
quam angelicis ille nihilominus pingere allabo-  
rauit uerbis, non possum non eo nomine magnum  
in modum, de praectaro isthoc & egregiis mentis  
Tuae dotibus apprime congruenti instituto Tuo,  
Tibi publice gratulari. Ceterum id DEVM precor  
id Supremum Numen ueneror iupplex: Velit stu-  
diis Tuis magna cum laude haectenus gestis, sua  
porro clementissime adesse benedictione, quo eum  
quem Tibi proposuisti finem felicissime  
tandem consequaris. Vale!

¶ ( O ) ¶